

## AD PHARNACIS ELOGIUM (CIRB 129)

Alexandro Gavrilov sexagenario  
salutem.

Quidnam Tibi, vir doctissime, ne dicam Te dignum – onus enim tam magnum subire nec possim nec audeam, – sed tale quod a studiis curisque Tuis minime abhorreret Tibique gratum esset, dono offerrem cum deliberavissem, nihil melius mihi visum est, quam ut hoc monumentum epigraphicum explicando perstringerem, quia et Te, vir eruditissime, hunc titulum tractando dignatum esse me non fugit, omninoque haec studia in Bibliotheca Classica auspiciis Tuis fundata Te duce florere quis est, qui nesciat. Itaque hoc opusculum, qualecumque est, benigne, ut mos Tibi est, accipe salvusque sis.

Vale.

Titulus, de quo acturi sumus, est tabula marmoris albi supra et infra fracta, eruta Panticapaeo a. 1860, quae pro tumuli pariete fuit; cuius in fronte viri palliati et servi effigies imminens cernitur, quorum utraque figura mutila est. Tabula in Petropolim delata est, ubi extat in museo publico (L'Ermitage). Titulus primum a L. Stephano editus est,<sup>1</sup> postea a G. Sauppio et G. Keibelio tractatus, deinde a B. Latyshev in *Inscriptionibus Orae Septentrionalis Ponti Euxini* explicatus est.<sup>2</sup> Nuperrime eum W. Peek et editores *Corporis inscriptionum regni Bosporani* observaverunt.<sup>3</sup>

Lapis octo versibus elegiacis, duabus lineis pedestribus praecedentibus, incisus est, qui elogium funebre satis elegans faciunt, cuius versus paenultimus nonnihil difficultatis ad explicandum praebet. Verba tituli haec sunt:

Φαρνάκη Φαρνάκου, | χαῖρε.

Φαρνάκew στάλαν δέρκευ, ξένε, τὸν βαρὺς Ἄδης  
ἔκλασεν, ἀγρεύσας δὺσμορον ἠλικίην,  
5 τέχνη παιδοτρίβαν, ἔτεσιν νέον, ἐγ δὲ Σινώπας  
πατρίδος ἐξ ἀρετᾶς πρὸς δὺσιν οἰχόμενον·  
οὗ κάλπιν κρύπτει γῆ Βοσπορίς οὐδὲ λέληθεν  
γυμνάσιον κωφοῖς δάκρυσι μυρόμενον.

<sup>1</sup> L. Stephani. *Отчеты археологической комиссии* (СПб. 1861) 172.

<sup>2</sup> G. Keibel, *Epigrammata graeca ex lapidibus conlecta* (Berolini 1878) № 252; B. Latyshev, *Inscriptiones orae septentrionalis Ponti Euxini II* (Petropoli 1890) № 299; add. p. 309

<sup>3</sup> W. Peek, *Griechische Vers-Inschriften [GV] I: Grab-Epigramme* (Berlin 1955) № 1265; *Corpus inscriptionum regni Bosporani [CIRB]* (Moscoviae et Petropoli 1965) № 129.

Αἰρετίσας δὲ πατὴρ στοργᾷ φύσιν ἐπροτέρησεν  
 Χηματίων τύμβῳ σᾶμα λίθου θέμενος.

Pharnaces, Pharnacis filii, sis felix. Hospes, fac Pharnacis monumentum aspicias, quem gravis Orcus fregit, aetate infelici venando capta; eum, qui paedotribae arte fungebatur annisque iuvenis, Sinope, quae patria eius fuerat relicta, virtute ductus in Solis occasum profectus est. Cuius unam tellus Bosporana celat neminemque fugit gymnasium mutis lacrimis eum deflere. Chaematio pater, a quo Pharnaces adoptatus erat, naturam amore superavit,<sup>4</sup> monumento lapideo in sepulcro posito.

Itaque verba στοργᾷ φύσιν ἐπροτέρησεν quid sibi velint liceat nobis quaerere. Quae constructio nusquam alias usitata esse videtur ideoque varie a viris doctis percipitur. At priusquam hanc tractemus, operae pretium est in universum de hoc carmine disserere, quippe Pharnacis vitae curriculum magnam dissentionem movit.

B. Latyshev putavit Pharnacem Sinope natum, ubi paedotribae artem didicisset, in Graeciam profectum esse, quod verbis πρὸς δύσιν οἰχόμενον (v. 6) exprimeretur, Panticapaeum deinde venisse, ubi a Chaematione adoptatus esset, quod e participio αἰρετίσας penderet, quae omnia nobis verisimilia esse videntur.<sup>5</sup> G. Keibel, G. Sauppio duce, aliter elogium accepit: Pharnacem, Ph. f., e Panticapaeo, ubi pater eius Sinope natus vitam degeret, profectum primum in Graeciam venisse, ubi admodum adulescentem diem supremum obisse; patrem eius cenotaphium in Panticapaeo extruxisse effigie filii praefixa.<sup>6</sup> At hanc explicationem parum ad rem quadrare fatendum est. Cur Panticapaeo tumulus vacuus exstruendus erat, cum pater Sinope domicilium haberet, filius autem in

<sup>4</sup> Quo de verbo paulo post fusius tractabimus (vide adn. 7).

<sup>5</sup> Latyshev, *ibid.*; vide etiam, quae *CIRB* editores de hoc titulo exposuerunt. L. Stephani opinionem, qui haec verba tamquam ad Pharnacis mortem spectantia accipiat, missam facimus, quia nobis persuaderi non potest, quin homo in Sinope mortuus in Panticapaeo sepeliatur, nedum circumlocutio πρὸς δύσιν οἰχεσθαι verbi moriendi vice vix graece fungi posse videatur. In *Bibliotheca Classica Petropolitana* exemplar *CIRB* ex hereditate N. V. Schebalin v. d. Universitatis professoris anno 1995 acerbissimo morte abrepti eius manu annotatum servatur, ubi cum multa alia tum sententia ad hunc titulum spectans margini adscripta est, quam hic minime silentio praetermittendam esse ducimus. Nam vir doctissimus permultum in re epigraphica versatus persuasum sibi habuit Pharnacem in occasum solis bellandi cupiditate ductum profectum esse, idque ei fatale fuisse, quippe qui si aliam ob causam peregrinatus esset, nulli eius virtuti (ἀρετῇ) commemorandae locus fuisset.

<sup>6</sup> Keibel, *op. cit.*; quam explicationem de voce οὐ (v. 7) pendere apparet, quam Keibelius pro negatione non pro genetivo pronomini relativi accipit ita, ut negationis geminatae species fiat. Quod res non requirit. Quo minus dubites, vide Latyshev in tituli editione. Mihi satis facturus videor, si unum alterumve exemplum negationis οὐδέ, negatione praecedente ommissa, attulerim, utpote Peek, *GV* 1127 (eiusdem *Griechische Grabgedichte* [GG] [Berlin 1960] № 143) et praecipue *GV* 1804 = *GG* 137.

Graecia animam exhalavisset, nedum participium ἀρετίσας interpretatione careat? Itaque B. Latyshev interpretationem secuti accipiamus iuvenem e Sinope in Graeciam profectum, ut paedotribae arte imbueretur, in Panticapaeum deinde venisse, et a Chaematione adoptatum gymnasio praefuisse ac vita defunctum a patre novo sepultum ac gymnasio defletum esse. Sed haec hactenus. Ad versum nonum redeamus.

L. Stephanius sibi persuasum habuit patrem in filii amore gymnasii dolorem ac lamentationes superavisse, – ita enim vim ac rationem locutionis φύσιν προτερεῖν explicari voluit – quod satis ineptum esse per se patet. Quis enim est, qui gymnasium naturae nomine nuncupet? Num denique pater de gymnasio victoriam in filio deplorando laudi sibi duxit?

Quid loquar de Saupii interpretatione, qui putavit patrem, effigie filii posita, naturam, quae filium peregrinanti mori sivilisset, vicisse, quod per se artificiosius quam verius esse mihi videtur.

Editores *CIRB*, ut ex versione rossica patet, sibi persuaserunt Chaemationem monimenti aedificatione maerorem antecessisse. At patris genuini dolorem propter filium morte abreptum omnium esse gravissimum quis est, qui neget.

Quae omnia minime nobis placent. Quomodo enim natura effigie hominis superari potest? Itaque naturae superationem de monimenti aedificatione pendere nolim. Num sepulcrum extruendum tam sumptuosum fuit? Quid? Pater genuinus filio non fecisset, quod Chaematio fecit? An is monumentum ponendo, quod quamvis marmoreum non tam magni pretii fuisse videtur, ut ille opes penitus exhauriret, naturae fines egressus est?

Nonnihil tamen ad rem proficere posse videmur, si vocem φύσιν προτερεῖν ita explicemus Chaemationem filii amissi desiderio aegritudineque confectum morboque graviore afflictum morte praematura abreptum esse, i. e. naturam propriam, vitae spatium dico, praevenisse. Quo modo et elogii sensus planius procedere et interpretatio rei grammaticae non repugnare videtur. Ad persuadendum aptior ut sim, alia huius generis exempla adferenda esse non infitior, si comparerent, nisi quod Theophrasti locus in *Plantarum causis* (4, 2), ubi προτερεῖν εἰς τὴν φθοράν de plantis cito morituris dicitur.<sup>7</sup>

<sup>7</sup> Lexicis denuo collatis apparuit hanc vocem imprimis loco vel tempore praeveniendi vim habuisse neque ante Alexandri Magni aetatem sensum fortitudine vel dexteritate aliquid superandi institui coepisse idque praecipue apud Polybium aliosque scriptores rei militari deditos. Itaque posteriorum solum temporum scriptores hanc significationem usurpavisse patet. Nam epigramma sensum Homericum olet neque usui posteriori i. e. ab Aristotelis aetate usque ad occasum graecitatis antiquae hic locus esse mihi quidem videtur. Piculum tamen passus essem, si lexicis illius, quod LSJ inscribitur et adhuc in manibus omnium virorum doctorum teritur, adnotationem peculiarem, quae tituli, de quo agitur, commemoratione facta, sententiae nostrae prorsus repugnat, silentio praetermissem.

Quod ad monumentum exstruendum attinet, id e testamento Chaemationis a spiritus rectore factum esse nihil obstat, quin putemus.

Andreas Tischow  
*Universitas Petropolitana*

Рассматриваются прежние толкования надписи из Пантикапея (*CIRB 129*); делается попытка новой интерпретации девятого стиха, где предлагается понимать выражение *πρoτepεῖν φύσιν* как указание на преждевременную смерть Хематиона, приемного отца Фарнака.